 quæsiuerē. Unum; quæ causa fuerit, cur apud Romanos nomina, quibus quisq; appellas
 retur, duplicarentur. Alterum; an eius ipsi auctores instituti extierint, anid ab alijs gen
 tibus fuerint, ut alia ē plurima, mutuati. Ac Varro quidē optimus auctor in primis (ut
 tradit Valerius in Epitoma lib. X. quæ de Prænominibus scripta est) banc propriam
 Romanorū fuisse consuetudinem censuit, nimis uero rōe adducens, quod in Italia simplici
 bus nominibus homines ante Romā Conditam usi essent. Romulum. n. eos, et Remum,
 et Faustulum absq; alijs nominibus edidisse. Qui aut ab eo dissentiebat matrem Romuli
 nominabant Rheam Sylviā uocatam, auum Numitorēm Sylviū, fratrem eius Amulium
 Sylviū. Neq; uero hos solum commemorabant, sed superiores ē Albani reges repebant,
 Capetū Sylviū, Agrippā Sylviū, posteriores q; duces Metiū Suffetiū, Titū Tatū, Numam
 Pompiliū. Ex quibus omnino illud effici uolebant, duplicandorum nominum Romanos
 antores non fuisse. Confirmauit autem admodū banc eorum sententiā Aruntius Clau
 dius. f; Valerius ipse Maximus. Nam Claudius (ut scriptum ē apud Diomedē Grāma
 ticū) banc totā multiplicandorū nōnum rationem Romanos à Grēcis mutuatos esse pu
 tanit; quippe apud quos multi fuerint, qui & quæ, sāq; Romani tria nomina usurpauerint.
 Siquidem cum Alexander Dardanius Paris appellaretur, Alexandru prænominis officio fū
 dum esse, Dardanum familiæ originem declarasse, Paridem uero cognomen illi à gestis
 eius rebus indiū fuisse existimauit. Quod idenī in Achille. A eacide Celeri intelligi uolu
 it. Valerij autem haec sententia ē, ab Albanis, f; Sabinis, à quibus traxerūt originē, hāc
 Romanos consuetudine accepisse. Quibus ex rebus illud intelligi potest; Varronis fractam
 sententiā, f; labefactatā iacere. Cur autem illi noīa duplicauerint, causas Priscianus
 exponit duas. Unam; ut qui in quaque familia eodem nomine vocarentur, preposito aliquo
 alio nomine, quod deinde Prænomendixerunt, distinguenterunt; alteram, ut Sabinorum
 gratiam, benevolentiamq; colligerent, quos Romulus in ciuitatem suscepit. cum interim
 eius rei causa, aut suis Sabinorum nomina, aut contra sua Sabinorū nominibus atepone
 ret. Quod idem ē in Romulo scribit Eutropius. Hec aut cū ita sint, multiplicata est deinde

E

HAYK
EYHUKOVA

hecto rario nominandi. Neq; enim Prænomen, aut Nomine tantummodo illi contenti fuerit, sed Cognomen, atq; Agnomen etiam adiunxerit. De quibus quidem oībus, cum ab alijs silia tradita sint, ipse quid sentiam hoc loco non dicam; quid autē ueteres senserint, uerbis eorum expositi breui concludam. Ac primum quidē nominabo Valeriu, qui in Epistola, quam supra demonstravi, de hisce quatuor Vocabulorū generibus ita dissent. Omnia, quae ad unumque nostrū definitiū excoxitata sunt, eandem uim significandi bo minis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoq; dicitur Gentiliū. Catena ordine variantur. Nam quod præponitur, Prænomen, quod post fertur, Cognomen. quod ad ultimum dicitur, Agnomen vocatur. Neque uero alter sensiss uidentur Cariss, Priscianus, Donatus, & Diomedes grammaticinon solū antiquitate, sed etiam eruditione praestantes. Quorum omnium, quo loco de Nominibus proprijs agunt, hæc propè uerba sunt. Vocabulorum, quibus Romani capita recensebant, quatuor generali. Prænomē, Nomen, Cognomen, Agnomen. Prænomen, quod Nominē præponitur, ut Publius. Nomen, quod familię originem declarat, ut Cornelius. Cognomē, quod Nominū subiungitur, ut Scipio. Agnomen, quod extrinsecus addi solet, ut Africāus. Quod si quis bos sortasse ut leues buiuse rei audtores repudiauerit, nunc animū referat ad ea, quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, et Suetonium, aucto res Romanarum rerum grauiissimos, eosdemq; certissimos, à quibus hæc eadem opinio cō firmatur. Dionysius quidem de L. Tarquinio Priso scribens sic inquit. Lucumo anis maduertens unicuique Romanorum esse proprium nomen, eique alterum esse adiunctum, quod est cognitionis, & gentilitium, similem se ijs in hac re uolens reddere, Lucium sibi pro Lucumone proprium nomen, Tarquinium uero cognitionis ab ea urbe, in qua erat er ducatis, imponit. Plutarchus aut in eolibro, quæ de C. Marci Coriolani vita scripsit, hoc modo ait. Tertiū igitur ei nomē Coriolano inditū est. ex quo intelligi potest, Caium ei fuisse Proprium Nomē, Marcium uero cognitionis, et familiæ. Neq; uero in hoc libro ratum modo, sed in eo etiā, qui de C. Mario scriptus est, hunc locum diligentissime tractat. Vers ba quibus hoc docet, in principio eius libri posita sunt. Quæ, quia nimis longa uisa sunt, atq; etiam in promptu sunt omnibus, non apposui, quid tamen ille uoluerit breuiter mihi ostendendū esse putau. Sic igitur ille disputat, ut uaria et ipse apud Romāos fuisse Nominū genera tradat. quorum alia Prima, alia Secunda, alia Tertia uocat. Ac Prima quidem Nomina eadem esse, quæ Propria significare uidetur, ut Lucium, ut Quinctum, ut Caium. Secunda uero, quæ cognitionis causa multis communia sunt, ut Pompeios, et Manlios, & Cornelios. Tertia deniq; ea esse, quæ à græcis ī πατέρων nominata, uel ab aliqua actione, uel à corpore, uel à moribus indita sunt, ut Macrinum, ut Torquatum, ut Sullam. Et Secundis quidem apud Græcos respondere Heraclidas, et Pelopidas, Tertiis uero Grypum, et Callinicum censem. Quod autem in eo loco p̄cipio est, puto esse mendose pro p̄cipio. Hanc enim uocem retulisse Plutarchum puto apud Pompeios, ut Torquatum, et Sullam ad Mālios, & Cornelios retrahit, à quibus paulo ante exempla petebat. Neque uero Macrinū Pompeiorum fuisse Cognomen usiū legi. exempla uero sumi solent à rebus maxime notis. quod autem in Pompeiorum familia notius est Cognomine Magni? Hæc Plutarchus. Quid cum Cicero ep̄ist. ad Att. lib. IIII. ita ait. Qui ueterē prænominē nouo nomi ne, T. erit Cæcilius. et Suetonius in Cæsare cum inquit. Ut quod eo anno actum esset, Iulio, & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes nomine, atque cognomine; non ne satis ostendunt, Titum quidem Prænomen, Cæciliū uero, & Iulium Nomina, Cæsare uero cognomen esse uocandum? Hæc mihi satis multa, ac satis firma uisa sunt, quæ affir rem, cum ad hanc appellacionem uim, et naturam definiendam, tum ad eorum opinio nem labefactandam. qui contra, aut alter senserint, aut scripserint. In Græcum autem testimonijs proferendis non sequar aliorum institutum, qui cum in Commentarij suis Græ corum auctoritatibus creberrinis utantur, græce eas proferunt semper. neque intelligunt eo facto tum magnam se leffori non ita admodum eruditio moram, ad discendum afferre, tū illud ipsum,

ipsum, quod cupiunt consequi posse, si latine conuerterent. Quod ipsum nos, nisi quoties de uerbis erit controuersia, in hoc toto nostro Commentario retinebimus. Cum ergo, quatuor Vocabulorum genera sint, quibus plerunque ueteres Romani appellantur, propositum est nobis, hoc loco tantum de Prænominibus dicere. Nam de reliquis, ut quoque loco occasio dabitur, infra dicemus. Ac Prænomen quidem πρενομόν græce dictum scribit Diomedes. Plutarchus autem modo primum nōmē, modo Proprium nomen una cum Dionysio nominat. Vis autem latini Vocabuli satis perspicua est. Nam quod Nominī præponeretur, id Prænomen dici uoluerunt. Fuisse autem hæc Prænomena ad triginta ex Varronis sententiā tradit Valerius. Nos certe paulo plura inuenire potuimus. Sunt autem hæc. AGRIPPA. ANCVS. APPIVS. AVLVS. CAESO. CAIVS. CNEVS. DECIMVS. FAV STVS. HOSTVS. LAR. LICINIVS. LVCIVS. MAMERCVS. MANIVS. MARCVS. NVMERIVS. OPITER. POSTVMVS. PROCVLVS. PVBLIVS. QVINCTVS. SERTOR. SEXTVS. SERVIVS. SPVRIVS. STATIVS. TIBERIVS. TITVS. TVLLVS. VI BVS. VOLERO. VOLVSVS. VOPISCVS. De quorum quidem origine, ac significatione scribemus ea, que à priscis scriptoribus tradita, à nobis quanta maxima fieri potuit diligentia sunt collecta. Ac primum quidem AGRIPPAM eum uocatum esse scribit Pompeius, qui cū labore matris sit natus; exempli causa in pedes contra naturam, et non in caput, quonodo natum esse M. Vipsanium Agrippam Scribit Pl. lib. VII. cap. VIII. tum enim ex Prænominē in Cognomen transierat. Idem confirmant etiam Marcellus, et Quintilianus lib. IX. Qui ab æglo partu Agrippam esse uocatum scribunt. Hoc autem Prænomen Menenios, & Furios usos esse infra suo cuiusque loco probabimus. ANCVM scribit Varro à Sabinis esse profectum. Valerius autem tradit eum Ancum esse appellatum, qui uitiosum habuit cubitum, qui αὐλοῦ græce dicitur, cui etiā Festus assent. Ancus enim, inquit, ille uocatur, qui ad uncum haber brachium ita, ut regi non possit. Id autem fuit Marci Regis Prænomen. APPIVS ex Sabinis uenit (ut ait Valer.) idque proprium Claudiorum fuit. Porro autem AVLVS idem putat eos esse dictos, qui dijs alementibus nascerentur. Nam de CAESONE satis constat, qui ex utero matris esset exectus, eum Cæsonē esse appellatum. Hoc enim à Pöpeio, Valerio, et Plinio lib. VII. cap. IX. traditū ē. CAIOS à gaudio patrū appellato esse placet Valerio. CNEOS uel ab igni aliqui quasi ῥεβαίς uel à γενεσεi idest à generatioe futura esse dictos auctores locupletissimi sui t Valerius, et Pöpeius. De DECIMO, QVINCTO, et SEXTO nemo ex ueteribus tradidit. sed idem tamen ab ordine nascendi nominati esse uiri, ita ut, qui decimo, sexto, et quinto quoque loco esset natus, idem Decimus, Sextus, et Quintus diceretur. Miror tñ, cur non etiam Tertium, et Quartum dixerint, p̄serim uero cum infirmis id facere nō neglexerint, ut Tertiam, et Quartam nominarent. sed hæc infra. FAUSTVM à Faure dictum scribit Valerius. Hoc autem Prænomen usus est Sulla Dic̄tatoris filius, Faustus Cornelius Sulla dictus, ut scribit Pedianus in orat. in Pis. & Pro Mil. itemque eius filia prænominē Fausta. Videtur etiam Veturiorum fuisse Prænomen. Nam An. CCCLIII. in Fragmentis marmorū mita scriptum est. //, VSTI. F. SP. N. CRASSVS CICVRINVS Quod ego interpretatus sum. M. Veturius Fausti F. Sp. N. Crassus, ut ibi dicam. HOSTVS, inquit Valerius, fuit Prænomen in eo, qui peregrinè apud hostitem natus esset. fuitque Prænomen Lucretij Tricipitini collega L. Sergij Cos. Macrobius lib. Saturn. primo, qui in hostico procreatus esset, eum Hostium uocatum fuisse scribit. Est autem mendum in Valerio. Hostes enim legitur, non Hostus. Quod autem legendum sit Hostus; ex eo intelligi potest, quod Livius Lucretium Tricipitimum, cuius Valerius meminit Hostium uocat. At in marmorib; Romanis quum An. CCCXXXVI. scriptum sit, P. LVCRETIVS HOSTI F. appetat etiam esse mendose apud Liuum, Hostium pro Hosto. Id quod etiam ex Macrobo confirmatur, qui Hosti Hostilijs mentionem facit libro Saturn. primo. LICINIOS tradunt dictos esse, qui paruis oculis nascerentur. quo Prænominē usus est Licinius Menenius Lanatus uir cōsularis. LARTIS Prænomen

(ut tradit Valerius) à laribus sumptum est. Thuscum autem ante creditum est esse. sicut consularis Herminij. Hæc sunt uerba Valerij, que cum apud eum corruptissime esse sent scripta, eadem in nobis, ut tot etiam illa Epitoma, hoc modo sunt restituta. Ita autem legendum esse, que infra exponam, ostendent. Sribit enim hac de re Carinus sic. Lar si familiaris erit, Gentis lo facit Laris, si Tolumnij Porfene, Laris. Seruus autem in lib. VI. Aeneid. sic. Lar Tolumnius à Cocco occisus, à loco dictus est. flectitur autem Lar Laris. De Larre Porfene ita Dionys. L. V. Βασιλευσθντα οικανων λαρος οντων πορφητικων. Quæ tñ Plutarchus in Poplicola uocat κλαρα πορφητην, sed mēdoce, ut puto. pro τοι λαρ πορφητην. Nā in eodē etiam libro paulo post scriptus est κλαρος πτωσιμος προ αλλως πτωσιμος. ut in eius anno ostendam. Quibus ex rebus satis perspicere potest mendose esse apud Valerium, Laertis, pro Laris. eosque errare, à quibus Laertes Tolumnius scribitur. Quod autem hoc prænomen Herminij consularis fuerit, ut ait Valerius, id etiam ita esse ex Dionysij lib. IX. cognoscitur. à quo ita Anno CCCIII. Consul scribitur: Αλλως επουιος, cum si tamē eo loco mendose apud Limū lib. III. Sp. Herminius. LVCII duplex origo traditur à Valerio. aut enim à Lucumonibus Etruscis, inquit, est dictus. aut isdemum Lucius appellatus est, qui lucis initio natus est. Quod scribit etiam Festus. MAMERCVS Prænomen Aemiliae familiæ fuit. De quo Plutarch. in Numa, et Paulo Aemilio sic. Mamercur, inquit, fuit Pythagore filius, à quo Numa Pomplius Rex filium, Mamercurum nominavit, qui auctor, & princeps gentis Aemiliae fuit. Sex. autem Pompeius Prænomen Oſcum esse Mamercurum putat, quod Oſci Martem Manerter appellauerint. MANIVS dictus est, qui mane est ortus, aut omnis causa quasi bonus. Manum enim antiqui Bonum dicebant. Hæc tradunt Valerius, Pompeius, & Macrobius lib. primo Saturn. Sribit etiam alio loco Pompeius sic. Manius agrum Nemorensem Diane consecravit, à quo multi, & clari uiri consecrati sunt. unde Pronerium, Multi Manij Aricæ. Zosimus autem Historiarum lib. III. tradidisse non à mane, sed à manibus Manium esse dictum scribit Polytianus. MARCVS dictus est auctore Valerio, qui mense Martio natus est. DE NUMERIO Pompeius, & Valerius eodem frè modo scripserunt. Vtriusque uerba proferi, ut quid optimi auctores senserint, facilius quisque intelligat. Pompeius quidem lib. XII. hoc pæsto scribit. Numerius prænomen nunquā antea fuisse in patricia familia dicitur, nisi posteaquam Fabius, qui unus post sex & trecentos ab Etruscis interfecitos superfluit, inductus magitudine dicitiarum uxorem duxit Otacilij Malquentani (ut tū dicebantur) filiam ea conditione, ut qui primus natus esset, prænominé aui materni Numerius appellaretur. Valerij uerba parum emendata cum essent in hunc modum à nobis sunt restituta. Numerio sola patricia familia uia est Fabia, idecirco, quod CCCVI. apud Cremeram flumen cæsis, qui unus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerij Otacilij Malquentani, sub eo pæsto, ut quem primum filium sustulisset, ei Numerij prænomen imponeret, obtemperauit. Hæc illi. Hac igitur rœ legimus etiam apud Cic. in or. pro Client. Numerios Aurios. & lib. III. de Orat. Numerium Furium. OPTITER uocatus est, cuius pater auro uiuo mortuus est. quasi qui post obitum patris genitus sit. aut qui ob patrem auiū habeat. quod prænominé Verginio Tricosto cōsili fuit. Hæc scribit Valerius. & Pompeius. POSTVM tradit in Coriolano Plutarchus eñ esse dictu, qui post humatum patrem est natus. Hoc autem tempore omnes frè codices latinorum auctorum Postumum pro Postumo habent. Neque enim ante intellectum est, Postumum nomen esse à Prænominé Postumo natum. Hinc Postumum Cominium, & Postumum Ecclium apud Valerium legimus. De PROCYLO dissentit à Plutario Valerius. illi enim in Coriolano Proculum dictum esse illum prodit, qui natus fit patre peregrinante à patria procul. hic uero lib. XIII. qui patre sene, quasi procul etate progresso. PVBLII auctore Valerio sunt, qui prius pupilli fuerunt, quā prænomina haberent. De SERTORE non omnes scribunt uno modo. Valerius enim

Sertorem

Sertore eñ demū uocatū esse ait, qui per sationē natus est. Quo prænominé Sertore Res sum scribit usum illum, qui primus ius faciale instituit. Pompeius aut̄ alios sequuntur ant̄ores de eo ita tradit. Sertore quidā putat dictū à prendēdo, quia cū cuipā afferat manū educēdi eius gratia ex seruitute in libertatē uocetur adseror, cum uerisimilius sit dictum, quod sereret quid. ac potius adseror à serendo accepisse nomē, cū aliquē serat perēdo in libertatē eadē, qua ipse sit. id est iungat, quia fruges cū seruitur terre iungit. SPVRIVM scribit Valerius, et Plut. in Problem. Rom. eñ esse dictu qui sine patre esset, antiqui enim ijsdē literis Spuriū, et Sine patre scripserunt. Fuerūt autē auctore Plutarcho SP. SERVVS is primū dictus est, quē seruens mulier peperisset. ut de Sernio Tullio Rege Dionysius, ac Liuins tradidere. Valerius tamen eñ Sernū esse uocatū scribit, qui in utero matris ea mortua esset seruatus. STATIVM à stabilitate uocatū esse placet Valerio. fuisse autē seruile nomē lib. IIII. cap. XX. docet Gellius. TIBERIOS dictos, qui ad Tiberim nasceretur tradit Valerius. De TITO cōtrouersia est. Valerius à Sabino quodā nomine Tito manasse ait, Festus à Titulo. Titulos autē milites fuisse, quod patriam tuerentur, quasitutulos. TVLLVS omnis causa dictus ē, quasi tollendus Olitera in V uersa. VOLERO in Prænomē abiit, quia nolētibus nasci liberis parētibus uidebatur. Quo prænominē usus est Publius Philo. Hæc Valerius. Hic aut̄ Volero ille est, qui à Lilio lib. III. et Dionysio lib. IX. mēdose Volero Publius dicitur, cū sit legēdū Publius, ut alio loco dicetur. De hoc etiā scriptū est in marmoribus. Anno. CCCIII. L. PVBLILIVS. L. F. VOLER. N. PHILO VVLSCVS. Porro autē VOPISCVS dictus est, qui ex duobus cōceptis uno abortu excluso ad partē legitimū deducetur. Quod prænominē præcipue in Iulia familia fuit. Hæc scripta sunt apud Valerij, Pompeij, Plutarchum in Coriolano, et Plin. lib. VII. cap. IX. Sed de Prænomini quidē ui, et significatiō battētus Nam de VIBO, VOLVSO q̄ (hæc enim reliqua sunt) nibil habemus, quod ex prisoriū monumentis tradamus. Ea uero prænomina fuisse ex marmoribus hisce Romāis apparet, in quibus scriptū est. An. CCC. P. Sextius. Q. F. Vibi N. Capitolinus. itemq̄ ex Lilio lib. XLVI. in quo scriptū est, Vibius Virius, ubi tamē Vibū legi oportere existimo. itemq̄ ex ijsdē marmoribus, Anno CCXCIII. et CCXCVII. in quibus ita legitur. P. Valerius P. F. Volusi N. et M. Valerius M'. F. Volusi N. Volusum autem Liu. lib. primo, et Pedianus in or. in Pison. Volusum, Dion lib. LVI. & aλεον uocant. cū tamē, si marmorū fidē sequamur, Volusam legere debeat. neque uero his solū in locis, sed in alijs etiā plurimis, in quibus semper mēdōssime legitur. Atque hæc quidē, de qua diximus. Prænomini ratio st̄ate maxime Rep. conseruata est. nā paulo post cū Reip. euersione simul etiam hæc religiosa descriptio aut labasse, aut intercidisse uideatur. Si quidē multa, que atē Nomina, aut Cognomina fuerāt, pro Prænominiib⁹ cæpta sunt usurpari. Nam Iulium Antoniū, Paullū Fabiū Maximū, Paullū Aimiū Lepidū, Potitiū Valeriu, Volusum, Cossum Cornelii Lentulum sanē animaduerte licet ijsprænominiib⁹ esse ornatos, que Nomina ante, atque Cognomina fuerāt. Quod ipsum nō scrip̄issim, nisi id ipsum à Valerio, & Priscio tradidit esse animaduertisse. Valerius quidē in Epitoma hoc modo ait; Anī maduerto in Cōsilium Fastis perplexū usum Prænomini, et Cognomini fuisse. ut Postumus Cominius, et Paullus Fabius Maximus. Prisciani autē uerba ex lib. II. infra loco cōmodiore ponētur. His expositis, reliquā est, ut quārationē hæc ipsa prænomina scriberentur, tradamus, id enim maxime rē causamque continere uideatur. Horum igitur prænominiū alia singulis, alia binis, alia ternis literis fuisse descripta cū à ueteribus auctoriib⁹ traditū, tū etiam ab antiquissimo quoq. libro, lapide, nūmoq; ita retētū est, ut nibil ea re possit esse illustrius. Auctores sunt Plutarchus in Problem. Carinus, Donatus, Priscius, et Diomedes. quorū uerba recitarē, si rē indigere probationis putarem. Singulis igitur literis scribētur. AVLV. CAIVS. CAESO. QVINCTVS. DECIMVS. LVCIVS. MARCVS. MANIVS. NVMERIVS. PVBLIVS. TITVS. ut A. Postumius. C. Iulius. K. Fabius. Q. Cæcilius. D. Iunius. L. Licinius. M. Valerius. M'. Curius, N. Fabius. P. Cornelius.

E III

T. *Lucetus*. Binis. APPIVS. CNEVS. SPVRIVS. TIBERIVS. ut A. *Claudius*.
Cn. *Popeus*. Sp. *Postumius*. Ti. *Sépronius*. Ternis. MAMERCVS. SEXTVS. SER/VI/VS. ut Mam. *Aimilius*. Sex. *Iulius*. Ser. *Cornelius*. Neq; uero horū omnium antiquē note in libris suis cōseruatae, uerum nōnulloꝝ ita aut uenustate, aut negligentia sunt deleteræ, ut non solī nulla nesciā nobis sui reliquerint, sed ipsa etiā in alia prænomina se trāstulerint. Qui tamen in cōmodo nos ita occurrimus, ut et iūa cīque prænomina reddiderimus, & ea propriūcūsque, quæ desiderabantur, notis distinxerimus. Quā quidem de re paucis hoc loco mibi dicendum esse putavi. Ac primum quidem, quoniam multos esse animaduerti, qui D. Decimū interpretarentur, notum quidem errorem, sed errorem tamen tollere uolui. Nam p̄terquam quod Decius est plebeiæ familiæ nomen, de qua inſra; Græcorum etiam monumenta satis indicant, quoties in libris latinis, aut alijs eiusmodi Romanorum monumentis D. scriptum est, Decimum esse exponendum. Quod quisque intelliget, qui Polybium, Dionysium, Dionem, Diodorum, & Plutarchū græcos legerit. Appianū enim græco loquente desideramus adhuc. Neque uero assensio non nullis, qui scripserunt, in hoc eiusmodi genere maiorem græcis, quam latinis fide esse habedā. Me enim cōtra, quæ à græcis posita prænomina sunt, multo magis mouet, quam que à latinis. presentim uero apud quos, quod ea integrā scriberentur, difficultus est prauari potuerint. Auget etiam auctoritatem, quod eorum scripturam plerunque cū marmorū descriptione conuenire comperio. Itaque Græcorum testimonio fretus, incredibile est, quam multa restituerim apud scriptores latinos, quæ ante parum emendate legebantur. De quibus dicēdī non est hic locus. Decimum autem prænomen esse satis aperte ostendit Plutarchus in Problem. si quis codicem græcum sequitus fuerit. Ex eodem genere MANIVS est, quod ipsum prænomen esse supra monstrauit. Quod autem scriberetur hoc modo. M'. ex eo argumento collegi. Animaduerti enim primum Curium Dentatum, quem nonnulli codices latini, ut Ciceronis in Catone, et Apulci in Floridis, & Polyb. lib. III. Manium apertissime uocant, in quarto eius triumpho, qui in marmoribus est incisus, ita describi. M'. CVRIVS M'. F. M'. N. DENTATUS. Eademque ratione Valerium, qui Anno CCLIX Dictator est, & à latinis Marcus, à Dionysio Manius scribitur in his iisdem marmorū fragmentis ita notari. M'. VAL / / / . Preterea Consules, qui Anno CCCCXC in marmoribus M'. VALERIVS. & M'. OTACI LIVS scribuntur, à Polybio μάνιον οὐαλείποιο, et μάνιον οτακίποιο nominari. Hec igitur ipsa cum attendissim, accuratior deinde factus sum in Aciis, & Aquiliis, ceterisque eiusmodi suo prænominē decorandis, quos in marmoribus iisdem notis esse descriptos, apud Græcos ferè aut Manios, aut Manios finitimo errore uocatos esse reperiebam. Quibus rebus adductus, tum prænomen, tum eius antiquam notā lingua latīna restitui, eaque etiam in re historiam ipsam Romanam, quæ iacturā magnam fecerat, mibi subleuandam esse duxi. puto autem nota illa' distingui eos uoluisse ab M. quo Marcus notatur. Idem feci in NVMERIO, qui N. litera describitur. Nam & prænomen & notam prænominis renouauit, quæ iam prorsus ob uenustatem uidebatur obsoleuisse. Etenim cum hoc esse Fabiæ gentis prænomen ex Feſto, et Valerio didicissem, cumque ex Fabijs cum primum Numerium esse dictum, qui Q. Fabij filius esset eius, qui CCCVI ad Cremerā interfecit supererat, scirem, eundemque in marmoribus Anno CCCXLVI. N. FABIVS Q. F. M. N. VIBVLANVS describi animaduertem; non dubitauit, quin et in eo, & in ceteris Fabijs, qui N. Fabij scriberentur, Numerius esset intelligendus. Quod ipsis deinde ex Valerij lib. IIII. cap. III. apertius etiam cognoui. Nam qui in marmoribus scribitur. N. Fabius Pictor, ab eo Numerius Fabius Pictor appellatur. Hæc autem eadem nota est in L. SEXTIO. SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERN. itemq; in epigrammate, quod est scriptum in Epigram. Antiq. Vrbis. eiusmodi. N. IVNIO EPIGONO CHRESTVS LIB. PATRONO. B. M. DE SE. In libris aut latinis ita euannerat, ut nullam sui imaginem reliquisset, sed in Cn. & in M. & in G. el. uaserat.

uaserat. Quæ omnia ex Fabiæ familiæ descriptione melius cognoscēntur. et à nobis suo ciuisque Anno inſra probabuntur. Quid dicam de CAESONE; cuius nota cum prorsus interiſſet, à nobis item ex uenustis hisce marmoribus restituta est. Quod tamen intellectu non admodum fuit difficile. Nam cum in Fabiorum familia, quos Cæsonis filios, aut neptones esse Livius, et Dionysius scribunt, eos omnino in marmoribus K. F. K. N. describi attenderem, in eam ueni sentētiam, ut pro K. Cæsonem esse intelligendū putarem. Quā potissimum literam eos usurpare exiſtimō, ut à Caio, qui C. litera notatur, internoscētur. in quam tamē literam passim in codicibus latinis se transſulerat. Quem errorem cū nos perspiceremus, depulimus, quantum potuimus. Quod ipsum in Fabiæ gentis descriptione apertius apparebit. Taceo de TIBERIO, quem duabus notatum fuſſe literis antiqua marmora testimoniō sunt, in quibus, quoties Ti. inuenitur, semper Tiberius in Græcorum monumentis est scriptus. ut in Sempronii, Aimiliis, Claudiisque Nerobus. Horum enim fuit maxime proprius. Hæc autē ratio scribendi in paucis hoc tempore p̄terquā in Tiberio Sempronio Graccho trib. pl. seruabatur. Quam certe in ceteris nostri non neglexissent, si Plutarchi uerba, quæ scripta sunt apud eum in Romariorum Problematis attendissent. à quo inter ea prænomina, quæ duabus notarentur literis Tiberius numeratur. Quanquam uerba eius mendosa sunt, quod adhuc nemo, aut pauci certe uiderunt. Inquit enim, Alia prænomina binis fuſſe notata literis, ωσπι τον βεργιον, και τον γαλον. cum sit legendum ωσπι τον τιβεργιον. Quam uocem omnes, qui hucusque eius loci testimoniū protulerunt, fuerunt autem plurimi, quique eum librum latine uerterunt, ut superuacaneam omiserunt. Eadem rōe Mamercum prænomen cum effet prorsus tenebris uenustatis opprēsum, in lucem produxi. Quod ipsū una cum eius nota debemus cū uenustorū marmorū, tū maxime Græcorū annaliū monumētis id quod sigillatū in quoq; suo Anno docebūt. De SERVIO prænominē, quod nonnulli SERG. scribere coperant, quæ effet Sergie patriciæ familiæ nomen, nō dicam. est enim error iam satis à multis exagitatus. Atque hæc quidem ita descripta sunt. Reliqua uero aut integrā, aut plurib. literis exarata fuſſe animaduertimus. Quod ex his itē marmorib. intelligitur. Ea uero sunt AGRIPPA. FAVSTVS. HOSTVS. VIBVS. VOLERO. VOLVSVS. VOPIS. CVS. ut Anno CCL. AGRIPPA MENENIVS LANATVS. et CCCXXIII. A. GRIPP. F. Item Anno CCCLIII. FAVSTI. F. et An. CCCXXXVI. P. LV CRETIUS HOSTI F. et An. CCC. P. SEXTIUS VIBI. N. An. CCCLIII. L. PVBLILIVS L. F. VOLER. N. PHILO. et CCCXXXVIII. C. VALERIUS VOLVSI. N. et CCCXLIX. C. VALERIUS VOLVSI. N. et CCCLII. L. IVLIVS VOPISCI N. Reliqua uero quā quam lapidum testimonia non extant, tamē integrā etiam descripta fuſſe arbitror. Ea sunt Opiter, Proculus, Licinius, Ancons, Lar, Sertor, Tullus, quem tamē Priscianus tribus literis describi consueuifſe scribit. Hæc nū de notis Prænominiū, de quibus non ita admodum longa disputatiōe opus fuit, si quid de Notis Romariorum atq; aut qui de Prænominiib. egissent, hæc omnia sibi colligenda putaffet. Nunc quoniam de Prænominiib. semel agere coepimus, expleamus hanc partem, quoad possimus. Qui igitur in hæc diligētius inspicerit, is magno temporis intervallo prænominiū ipsorū multis paulatim factas esse mutatiōes intelligere poterit. Siquidē eorū alia in nomina, alia in cognomina euaffit, alia derivatione quadā ex se nomina peperisse uñ. In Noīa se trāstulerunt LICINIVS, et NVMERIVS. Nā M. Liciniū Crassum. L. Liciniū Lucullū, aliosq; eiusmodi multos legimus. Q. aut Numerius est apud Pedianū in or. pro M. Scauro. In Cognomina uero AGRIPPA, VOLVSVS, MA/ MERCVS, PROCVLVS, TVLLVS. et quidē est eiusmodi. ut M. Vipsanius Agripa. M. Aimilius Mamercus. C. Plautius Proculus. L. Volcatius Tullus. de quibus inſra. Atq; hæc eadem tradit etiam Valerius in Epitoma his uerbis. Quæ olim Prænomina fuerunt, nūc Cognomina sunt, ut Postumus. Agrippa. Proculus. itemq; Priscianus lib. II. his uerbis. Inuenimus autē multa, quæ in alijs persōis sunt Prænomina, hæc in

alijs loco nominū accipi, similiter et in alijs loco Cognominum aliorū Agnominā, uel Nominā, uel contra. Porro aut ab his Nomina emanasse apparet. ab AVLO Aulios. ut Q. Aulius Ceritanus, de quo infra. ab APPIO Appios. à MANIO Manilos. à Cneos Cneios. de quibus Q. Frater de pet. ita. Carilina ex equestrī ordine Pompilius, et Cneios sibi amicissimos comparavit. à PROCVLO Proculeios. à CAESONE Cesomos. ab HOSTO Hostilius. à QVINCTO Quintios, et Quintilios. sic enim in marmoribus scribitur. à SEXTO Sextios, et Sextilius. à DECIMO Decimios. à LVCIO Luccios, et Lucilius. à MARCO Marcios, et Marcius. hanc enim scripturam marmora retinent. à PVBLIO Publius, et Publicios. à SPVRIO Spurilius. à STATIO Statios. à TITO Titios. à SERVIO Servilius. à VOLVSO Volusios. à VIBO Vibios. ut C. Vibius Pansa. à POSTVMO Postumios. à Sertore Sertorios. à TULLO Tullios. Iam. n. Nomina familiarū omnia in IVS desisse, neminem puto esse, qui nesciat. nisi forte quia aut M. Perpenna, aut C. Norbanus in IVS non desinuit, securis quis crediderit. sed eorum potius nomina nesciri arbitror, quam illa nomina esse, que uidentur. Nam cū ante Coruncanus etiā nos pariter perturbaret, compertū est tandem ex antiquissimis marmoribus, uer tuissimis q̄ codicibus Coruncanum esse scribendū. Sanè restat, ut quoniam de uirorum Prænominibus satis diffū est, de fœminarum prænominibus differēt esse uideatur. Quod eo libentius faciemus, quo illorū ipsoī sentētiā refellamus, qui Romanas mulieres caruſſe prænominibus putauerunt. Quā eorum opinionem satis ego mirari nō possum, cū qui Romanas mulieres prænominibus usas fuisse tradiderint, granissimi auſtores extiterint. Quid enim aliud intelligi uult Plutarchus in Problem. Rom. cū inquit, uiroſtribus, fœminas duobus nominibus fuisse contentas; aut quō alio Valerij, et Pompej uerba referenda sunt, nisi ut Prænomina fœminis etiā esse tributa intelligamus; que autem uerba illa ſunt? quæret alius quis. Valerij quidem in Epitoma hæc. Antiquarum mulierū frequēti in uisu Prænomina fuerunt, Rutilia, Cesellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra à colore dicta. Ista Prænomina à uiris tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Marca. Ceterum Caia uisu super omnes celebrata est, Fertur enim Caiam Ceciliam Tarquinij Prisci Regis uxore optimam lanificam fuisse, et ideo institutum fuit, ut nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ, quæna uocaretur, Caia effe dicenter. Pompej uero lib. XIII. hæc. Prænominibus fœminas fuisse uisas testimonio sunt Cæcilia, et Tarratia, que, amb̄ Caiæ ſolitæ ſint appellari. Que aut de Caia ſcribunt Valerius, et Pompeius, eadē traduntur à Plutarcho in Proble. Rom. Itas q̄ Valerius lib. VIII. Cap. III. Caia Afraniam nominat, et in ueteribus monumētis inuersu Caia interpretatur. sed hæc fortasse iam trita ſunt. Quid quod Sullæ Dictatoris filia fuit prænomine Faufa? quid quod a Celio nominatur Paulla Valeria, eadem, que à Cicerone dicitur Polla? quid quod in Epigrammate quod est in lib. Epigram. Antiq. Vrbis, scriptū est Paulina Valeria, et in alio M. Acilia? Ea uero ſunt hæc. PAVLINAE VALERIAE DVLCISSIMAE PARENTES MOESTISSIMI. Item. M. ACILIAE M. F. IVSTINAE P. SIRIVS SERPICAMVS MARITVS VXORI OPTIMAE, ET KARISSIMAE. Ergo nō est dubium, quin Prænominibus fœminæ quoq; fuerint uisa, quæ quam non eadem, atq; uiri fortasse ratione. Res autē ita cecidisse uideatur, ut si enī ſingulare effe filia, eam familiæ nomine tantum appellaret, ut Iuliam, ut Corneliam. Si due, alteri Maioris, alteri Minoris p̄ter nomen familiæ adderet, qualcum Maiorem, et Minorem Octavianam legimus apud Suetonium in Auguſto. fitres, que tertio loco effet nata, eam TERTIAM dicere. Hinc Tertiam Iuniam legimus apud Suetonium in Cæſare, et Macrobius Saturnaliorum lib. II. quam Tertullam uideatur uocare Cicero lib. ep. ad Att. XIII. itemque in epigrammate quodam Antiq. vrb. eiusmodi. TER TIAE PRISCHIAE IONIA SALVIA LIB. VENVSTA FECIT. Sin autem quatuor effent, que quarto loco effet nata, QVARTAM uocaret. Quare apud Linium lib. XL. mentio fit Quarte Hostiliæ. Si quinque que, quintū QVINCTAM appellaret, Hinc in oratione pro M. Celio, et de Arusp. Q. Clandia legitur, que in Linio

Linio mendose Clandia Quintia ſcribitur. Credo autem eam ex quinque filiatus Ap. Claudij Cæci fuſſe natu minimam, eaque de cauſa Quintam effe uocatam. de quibus Cicero in Catone ſic. Quatuor robustos filios, & quinque filias Appius regebat, & ſenex, et cæcus. Id aut ita effe in Clandia gentis deſcriptione docebitur pluribus. Sed quoniam in ſermonem Prænominiū imponendorū incidimus, eaque res ab iſtituto noſtro band prorsus abborre uideatur, nunc quid de ea ſenſerint ueteres, explicemus. Sanè qui de tempore tradunt, quo ea imponeretur auctores habeo nobiles illos quidem, & magnos, uerum ita inter ſe diſſidentes, ut utram ſequaris ſententiam facile dijudicari non possis. Quid est enim tam diſſimile, quæ ea, que a Valerio, & a Plutarcho, Pompeio ne ſcribuntur & quorum ille pueris non prius quam togam uirilem ſumerent, puellis non antequam nuberent, bi uero maribus quidem nono, faminis autem octauo die imponi conſueſſe Prænomina tradunt. Verba Plut. ſunt hæc in Problem. Rom. Tertii p̄t. παῖδες τοῖς μὲν ἀρρενοῖς εὐνάταιοις, τοῖς δὲ θηλεῖοις ὡραῖοις ταὶ οἱοί, παῖδες τιθένται. Pompej uero hæc. Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia bis lustrantur, atque eis nomina imponuntur. De ratione autem imponendi, ſatis conſtat ſuis quenque ſilijs prænomina indidiffe, quæ effent ſuę cuiusque familiæ maxime propria. ac primum quenque filium patrii effe prænomine plerunque uifi, eandemque deinceps rationem in adoptiui ſilijs, & libertis, & uotis ciuibis effe ſeruatam. ut a quo quenque adoptatus effet, aut per quemquis que uel libertatem, uel ciuitatem conſequens effet, eius maxime nomina uifuparet. Que ipsa, quamquam ab alijs penitus non neglegēta ſunt, tamen quo illuſtriora, ac notiora ſint, priſorum hominum auſtoritate nobis magis confirmanda effe putamus. Ac primum quidem, quod dixi, ſuę quenque familiæ propria prænomina imponuſſe; intelligendum eſt, non omnia omnibus familiis prænomina fuisse communia, ſed alia alijs fuſſe familiaria. APPLVS enim non mihi in Clandia gente fuit. MARCO ne quis ueteretur decreto gentis Manliæ cautum eſt, ut Luius, Cicero, & Pompeius ſcripſerunt. LVCIVM à Claudij repudiatum; CNEVM contra, & LVCIVM à Domitijs Ahenobarbis tantum fuſſe probatum in Tiberio, & Nerone docet Suetonius. Quod autem plerunque prius quenque ſilijs patrii prænomen fieri conſequetus, id quia in familiæ ſuę deſcriptione cognosci facilime potest, non mihi neceſſe puto hoc loco pluribus uerbis conſumare. Fuſſe autem quandam etiam diſtinguendi rationem, ſi eodem pater, et filius prænomine uisi effent, hinc intelligi potest, cum Cicero Q. Catulū modo patrem, modò ſilium nominat, modò ſene eos, & adolescentē diſtinguit. Quod idem in Curi onibus facit etiam Suetonius in Cæſare. Neque uero de Adoptiūrum appellatione multa mihi effe dicenda exiſtimo. cum à multis iam reſit ex ueterum ſcriptorum ob ſervatione traſtata. Illud tamen dicam, Dionem lib. XL. & XLVI, huius grauiſſimum autorem ſententiæ effe; qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum, à quibus adoptarentur ſibi uendicare conſueſſe. ſuum uero ipſorum retinuisse illud quidem, ſed aliquo tamē modo commutasse. ut C. Octavianus qui dicibatur, poſtequam à C. Iulio Cæſare eſt adoptatus, C. Iulius Cæſar appellari ceptus eſt, ita tamē ut non ſuum non deficeret, ſed id quodammodo commutaret, & Octavianum pro Octa vio redderer. Idem in P. Cornelio Scipione Aemiliano, et in L. Manlio Acidino Fulianio factum eſt, quorum uterque ab eo, à quo adoptatus erat, nomina ſumpſit. Hæc autem ſpectans Cicero dixit lib. ep. ad Att. III. Cicero Salutem Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico. Quod quidem ita effe, & auſculum tuui ſuuncum effe officio, uehementiſſime probo. Tum enim Pomponium Q. Cæcilius auſculus adoptauerat. ut ſcribit Cornelius Nepos in Attico. Eodem etiam referuntur ea, que apud eundem ſcripta ſunt lib. VII. Dolabellam uideo Linie teſta mento cum duobus coheredibus effe in triente, ſed iuberi mutare nomen. eſt politiōv ſcripta, rectum ne ſit nobili adolescenti mutare nomen mulieris teſtamento. Quod autem

HAYES
DE PRAENOMINVM ROMANORVM

autem scribit Dion, et his temporibus à multis traditum est, nomen suum qui adoptaretur quodammodo comutasse, id etiam si uerum est, non ab omnibus tñ retentu se apparet. Neque enim Aurelius Orestes, qui à Cn. Aufidio, nec Calpurnius Piso, qui à M. Puppio (ut scribit Cicero pro domo sua) fuit adoptatus, aut Aurelianu, aut Calpurnianus est nominatus. Sed ille Cn. Aufidius Orestes, hic M. Pupius Piso est appellatus. Quanquam non desunt, quicun Calpurnianum sine antiqui, ut puto, scriptoris auctoritate quotidie scribant. Fari etiam ratione Cornelius Scipio, qui, ut scribit Dion lib. LX. à Q. Cæcilio Metello Pio, et M. Iunius Brutus, qui à Q. Servilio Cœpione, ut ait Plutarchus, sunt adoptati, non se aut Cornelianum, aut Iunianum dici uoluerunt, sed ille Q. Cæcilius Metellus Scipio, hic Q. Servilius Cœpicio est appellatus. ut ex Dionis lib. XL. & Ciceronis Philippicis, alijsq; locis plurimis intelligitur. De seruis autem non est dubium, quin quemadmodum cum seruitutem serviebant Prænomen domini sequebantur, ita, ut Luciportes, Marcipores, et Publipores, quasi Lucij, Marci, & Publij pueri, et famuli dicerentur, ut à Plin. & Quintiliano scripsi est, ita etiam in libertate uindicati, patroni, à quo uindicati essent, nomina usurpauerint. Nam preterquam, quod exemplo sunt M. Tullij Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tullius Tiro, alter M. Tullius Laurea dictus est, et Linius Andronicus poeta, quem à Lutio Salinatore, cuius filios erudierat liberitate donatum scribit Eusebius in Temporibus, id etiam ex uerbis Ciceronis ad Atticum lib. IIII. & Artemidori lib. primo effici potest. Cicero enim de Eutychide seruo Attici manuissit ita loquitur. De Eutychide gratum, qui ueteri prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, ut ex me, et ex te iuncius M. Pomponius. Artemidorus autem de serui curi insdam somnio ita. Cognoui, inquit, quendam, qui cum sibi uidetur tria pudenda habere, ex seruitute in libertatem uocatus, prouno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo à quo manumissus fuerat, sumptis. Nam uero eos, qui in ciuitatem suscepit, illorum potissimum nomina consequi solitos fuisse, aut quorum beneficio ciuitatem impetrassent, aut quibus maxime usi essent, latinorum scriptorū exempla docent. Nam Cicero quidem ad Acilium ita scribit. Cum Demetrio Megamibi uetus sum bospitum est. ei Dolabella rogatu meo ciuitatem impetravit. qua in re ego interfui. itaque nunc P. Cornelius uocatur. Cæsar autem lib. primo de Bello Gall. sic. Commodissimum uisum est M. Valerium Proculum C. Valerij Cabur filium, cuius pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat, mittere. Item Cicero iterū ad Acilium. C. Auianum Philoxenum. Cæsar meo beneficio in Nouocomenses rettulit. nomen autem Auiani consequitus est. quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Auiano meo familiarissimo. Hec igitur omnia cum illi haberet quasi instrumenta quædam nominandi, Prænomen, Nomen, Cognomen, atque Agnomen; non histamen contenti alia etiam ad singulos significados, exemplicausa patris, aut cui prænomē tribusq; nomen adhibuerunt. Quod cum ex uetus suis eorum monumentis, tum maxime ex Pediano ipso intelligi potest. qui in. II. In Verrem sic ait. Moris fuit, cum aliquis ciuius Rom. ostendendus esset, significaretur, aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu, in qua censeretur, aut à curia, aut à censu, ut si erat senator, equesue Romanus. Quod autem à cognatione significatos esse scribit, id puto intelligi cum uelle, à patris, uel ab avi, uel à proavi prænomine illos ostendisse. Nam quod à patris quidem prænomine nominandi consuetudo fuerit, pleni sunt omnes libri. ut Q. Cæcilius L. F. à patris autem, et avi hæc nostra Romana marmorata satis ostendunt. à proavi uero, Epigramma quoddam uetus, quod est in libro Veterum Inscriptionum, einsmodi. L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS. CENS. IMP. ITER. VII. EPVL. TRIVMPH. EX. RHETIS. AEDEM SATVRNI F. DE MANVBIIS. AGROS DIVISIT IN ITALIA BE/NEVENTI. IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT LVCDVNVM ET RAVRI/CAM. Porro autem quod à tribu ait ostēos fuisse, id tale esse uidetur. Cum tribus urbane, rusticaq; omnes XXXV numerarētur, atque ex ijs aliquā neceſſe effet cuiusq; ordinis effet ciuiis Romanus

CAVSIS ET VSV

Romanus obtineret, iccirco factū est, ut à tribu, in qua censeretur, significaretur, tribus autē nomen in ablativo casu constitueretur. Ita legimus in II. In Ver. C. Verres Romilia. & alibi. L. Claudius Palatina, et in IX. Philippica. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. Nam Romilia, Palatina, & Lemonia tribuum nomina sunt. Tribus autem ipsa prioribus fere tantum literis significabatur. Quod uidemus adhuc in epistola Celi ad Ciceronem esse retentum, hoc modo. L. Iulius. L. F. Pom. Annalis. C. Scribonius. C. F. Pop. Curio. id est Pomptina, et Popilia. itemque in lapide quodam sane ueteri, qui tertio abbinc anno, dum ad nouorum urbis nostræ mœnum fundamenta iacienda, terra effoderetur, inuentus est. is autem ita habet. Q. AMBILIVS. T. F. POL. TL/RO. MVTIN. MILES COHORT. VT. PRAET. & GRAECINI. MILITAVIT ANN. XII. VIXIT ANN. XXXII. Hic enim POL. Polita interpretatur. Cum ergo hanc rationem sequuti sint ij, qui hæc nostra Romana marmorata incidenda curarunt, ut à suo cuiusque prænomine, nomine, cognomine, atque agnomine, præterea à sui cuiusque patris, atque prænomine magistratus singulos indicarent, elaboramus, quantum potuimus, ut si non in omnibus, id enim fieri posse non credimus, nisi forte alia nobis præter ea, quæ habemus antiquitatis adiumenta subministrarentur; at certe in pluribus eandem nominandi rationem conseruaremus. Quod quo consilio in quoque fecerimus, infra, ut cuiusque occasio dabitur, ostendemus.

Hæc habui, quæ de Prænominibus, & eorum causis hoc loco dicere, quæ maxime ad nostrum institutum pertinere putarem.

Quæ si quis probet, is se intelligat, cum uetusissimo quoque scriptore sentire. si minus reprehendat; quæ ab optimis auctoriis tradita sunt, improbare.



SERIES CHARTARVM.

A B C D E. Omnes sunt Duerniones præter E, Qui est Ternio.

240377



27,3429

ad. n.v